



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica**

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros  
distributam

**Lynch, Richard**

**Lvgdvni, 1654**

Tractatvs II. De variis speciebus veritatis syllogisticæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)



vero quatuor consonantibus nil curandum. Porro medium consequens est, quod subiecto, aut prædicato vniuersalius, deque eo directè prædicabile est, seu ex quo alterutrum inferri potest, vt animal respectu equi: antecedens est, ex quo subiectum, aut prædicatum inferri possunt, seu de quo alterutrum prædicari directè potest, vt equus respectu animalis: extraneum est, quod nec inferri ex subiecto, aut prædicato, aut ea inferre valet, seu quod de illis prædicari, aut illis subiici nequit, vt lapis respectu equi, aut è contrario.

64 Quibus positis perspicuum est, quale medium ad qualemcunque propositionem probandam assumi debeat. Fecana præcipit, ad propositionem propositionis vniuersalis affirmatiuæ, vltima alpha indicatam, assumi debere medium, quod sit antecedens ad prædicatum, quia C. talis medij symbolum antecedit A prædicato respondens, & rursus quod sit consequens ad subiectum, quia F. symbolum eiusce medij antecedit. E. subiecto respondens: quare iuxta superiora ad probandam hanc propositionem, omnis equus est viuens, animal, quod equus consequitur, & viuens antecedit, velut medium assumi debet, in hunc modum: omne animal est viuens, omnis equus est animal: ergo omnis equus est viuens. Eadem ratione quælibet sequentium dictionum, quomodo propositio sibi respondens, probanda sit, artificiosius quidem, quam vtilius præcipit.

65 Præter has sex combinationes medij cum extremis, nulla alia vtilis est, si quæ enim essent vtilis, maximè eæ, quam hæ tres dictiones Febas, Hedas, Hecas, indicant; siquidem ter tria nouem efficiunt: triplex ergo medium tripliciter cum extremis combinatum nouem combinationes efficit, vnde præter sex combinationes vtilis tres tantum triplici illa dictione contentæ superesse possunt: at prima combinatio, quam Febas indicat, vtilis non est, cum significet medium consequens ad vtrumque extremum, & quod de vtroque affirmetur, ac proinde duas præmissas in secunda figura affirmatiuas collocet, quæ nihil concludunt, vt constat ex toto illo versu.


66 *Balsama, Virgili, & Paridis, quibus adde Mylacin.*

Rursus secunda combinatio, quam Hedas indicat, inutilis est, nimirum quæ medium extraneum ad vtrumque extremum significet, ac proinde duas negatiuas præmittat, quæ nullibi concludunt, vt constat ex Colophone, Prologo, Melobosi, & similibus modis. Demum tertia combinatio, quam Hecas indicat, inutilis est: nam denotat medium extraneum ad subiectum, & antecedens ad prædicatum, & sic quoad priorem partem minorem negatiuam cum subiectum conclusionis in minore, locetur: at minor negatiua, nec in modis directis primæ figuræ nec in tota tertia, quidquam concludit. Quoad secundam verò partem denotat medium consequens ad prædicatum, seu de quo prædicatum conclusionis prædicetur: vnde in secunda figura ea combinatio locum non habet, ac proinde inutilis est duobus tamen modis indirectis primæ figuræ, videlicet Fapesimo, & Frisefomorum deseruit, vt omnis homo est animal, nullus equus est homo, ergo aliquod animal non est equus.

67 Vt autem artem hanc inueniendi medij vtilis, & reiiciendi pariter inutilis argumentis teneas, en totam numeris suis adstrictam.

*Fecana, Cageri, Dafenet, Hebare, Gedaco, Gebali, medium quodcunque erit vtile, tradent. Subiectum notat E, sed quod superadditur Alpha. Pra: medium referunt B. capa, ac tertia delta*

*Ce prius, atque sequens Be; alienum delta figurat. Subiecto medium Fe. Ge. aspiratio refert. G prius, atque sequens, Fextra aspiratio signat. Quanta sit, & qualis probanda assertio signat. Vocalis quadruplex, quæ sex vocabula claudis Febas, Hedas, Hecas nunquam concludere possunt; Excipe Felapton, Frisefo, quibus vtilis Hecas.*



## TRACTATVS II.

### De variis speciebus veritatis syllogistica.

#### CAPVT I.

##### De syllogismo obliquo, & circulari.

**P**RO syllogismo constante terminis obliquis sunt sequentes regulæ: Prima, quoties vtrumque extremum in obliquo ponitur in præmissis, aut ambæ sunt negatiuæ, & ita nil concludunt, haud enim sequitur nullius hominis est duplex anima, nullius risibilis est duplex anima, ergo nullum risibile est homo: atque in hoc conuenit syllogismus iste cum recto, & vulgari: aut ambæ sunt affirmatiuæ, & ita etiam nullius erunt efficacitatis ad concludendum, vt constat in hoc paralogismo, omnis homo constat corpore, omnis homo constat anima, ergo anima est corpus: aut vna affirmat & altera negat; atque ita nihil potest verè concludi in obliquo bene tamen quid piam in recto, vt omnis homo constat anima rationali, nullus homo constat anima belluina, igitur anima belluina non est anima rationalis.

Secunda regula: si medium vtroque præmissarum ponitur in obliquo, id ipsum de conclusione dicendum est, quod ià dictum in simili, videlicet eam esse inutile, & nullā, si ambæ præmissæ negent: non enim valet: nullius hominis est equus, nullius hominis est animal hinnibile: ergo animal hinnibile non est equus: aut si ambæ affirmant, haud enim sequitur Bucephalus fuit Alexandri, Alastor fuit Alexandri, ergo Alastor non est Bucephalus: sin autem vna affirmet, & altera neget eam in recto esse vtilem, & formalem, secus verò in obliquo: valet siquidem, nullius hominis est hic equus, alicuius hominis est hic asinus: ergo hic asinus non est hic equus.

Tertia regula: si medium in vna præmissa sit in obliquo, & alterum extremorum sit etiam in alia præmissa in obliquo nil concludunt: siue sint ambæ affirmatiuæ, vt constat in hoc paralogismo, omnis vxor est alicuius viri, sed Petrus est vxoris, ergo est alicuius viri: siue vna affirmet, & altera neget, vt liquet in hoc paralogismo priori non minus manifestè falso, ac ridiculo, omnis vxor est alicuius viri, sed Petronilla non est vxoris vllius: ergo non est alicuius viri: quod si ambæ præmissæ conditione præfata affectæ negent ex aequo, haud opus erit, ostendere illarum ad concludendum inutilitatem, quippe quæ est eis cum argumentatione directæ solis principiis negatiuis innixa communis.

Quarta regula: quoties vnum tantum extremorum fuerit in præmissis in obliquo, nequit illud non poni in conclusione similiter in obliquo: rectè enim arguas, omnis vxor est alicuius viri, Petronilla est

Vxor:



vxor, ergo est alicuius viri; non autem, ergo est aliquis vir, siue vir alicuius. Quinta regula, quando medium in altera tantum præmissa ponitur in obliquo, & in altera in recto, quod extremorum cum eo propt in recto posito propositione componit vnā, hoc debet poni in conclusione, è contrario in obliquo; quod verò cum eo propt in obliquo posito constituit vnā præmissā, hoc è conuerso debet concludi duntaxat in recto: vtrumque claret; nam ex his præmissis, omnis homo est substantia rationalis, sed omnis discursus dependenter à phantasmatis est alicuius hominis, rectè inferas, ergo omnis eiusmodi discursus est alicuius rationalis substantiæ, non verò ergo omnis vel alicuius discursus talis naturæ est substantia rationalis: hæc enim discursui, velut eius proprietas, non accidit, sed potius è conuerso.

Sexta regula ex prioribus manifesta: si præmissæ affirmatiuæ fuerint ambæ obliquæ, nil vtiliter concludent: sin autem altera tantum earum fuerit obliqua, conclusio erit vtilis, sed obliqua: ratio prioris partis est, quia vtraque præmissa, aut est obliqua, propter geminatam obliquitatem solius mediij, aut talis est, vi solum extremorum, aut denique tam mediij quam alterius extremorum: quidquid autem horum dicatur, necesse est, eiusmodi præmissas esse inutiles ad concludendum, vt demonstratum manet in prima, secunda, & tertia regula: ratio posterioris partis est, quia quando altera tantum præmissa est obliqua, idcirco est, quod extremum aliquod in ea sit in obliquo, aut certè quod medium in ea sit in obliquo, & in alia præmissa in recto: quod autem horum cunque seligatur, oportet extremorum aliquod in conclusione constitui in obliquo, eique obliquitatem tribuere, vt liquet ex dictis in quarta, & quinta regula.

Septima regula ex superioribus etiam perspicua: si præmissarum vna affirmet, & altera neget, aut ambæ sunt obliquæ, & sic conclusio erit directa, & non obliqua, vt visum est in prima, & secunda regula: aut altera recta, & altera obliqua, atque ita, si quæ est negatiua sit obliquitate prædita, & quæ affirmatiua rectitudine, sequetur conclusio obliqua: sin autem è contrario quæ est affirmatiua sit obliqua, & directa quæ negat, nihil vtiliter concludi poterit: exempla prioris partis sunt in obuio: valet enim in prima figura, nullius creaturæ est immensitas, sed omnis angelus est creatura, ergo nullius angeli est immensitas; & in secunda, immensitas non inest vlli creaturæ, sed angelus est creatura, ergo angelo non inest immensitas, nec est eius proprietas; & in tertia nullius angeli est immensitas, omnis angelus est creatura, ergo alicuius creaturæ non est immensitas: exempla autem posterioris partis haud minus sunt in propatulo: non enim sequitur in prima figura, nullum corpus est anima, sed omnis vnio humana est corporis, ergo nulla est anima; nec in secunda, omnis vnio humana est corporis, sed anima nulla est corpus, ergo animæ nullius est vnio humana; nec in tertia, corpus non est anima, corporis autem est vnio humana, ergo non anima.

Octaua regula: syllogismus omnis obliquus reduci potest ad aliquem constantem terminis rectis, propterea quod casus obliquus haud sit se solo terminus, siue extremum propositionis, sed tantum in consortio alicuius recti, vel expressi, vel subintellecti, cui adiaceat. v.g. si dicas, omnis captiuus est alicuius heri, sed Mahometes est captiuus, ergo est alicuius heri, perinde est atque omnis captiuus est

seruus, seu mancipium alicuius heri, sed Mahometes est captiuus, ergo mancipium alicuius heri. Quocirca regula tract. præc. tradita ad conficiendos syllogismos rectos in obliquis procedunt ac sufficiunt etiam dummodò hi ad illos reducuntur, pro eo ac potest & solet; quæ autem in presenti sunt statuta inferuiunt, quando nulla sit eiusmodi reductio. Vide Titelman. lib. 4. dial. cap. 27. & Auerfam tract. 4. instit. cap. 17.

Syllogismus circularis est, cuius conclusio conuersa minori maiorem suam inferre potest, vt omnis homo est rationalis, omne risibile est homo, ergo omne risibile est rationale; qui syllogismus ita gyrat, omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis. Dicitur autem appositè circularis propterea quod vi illius regrediatur quis à fine prioris syllogismi ad eius principium, ab eius conclusione ad maiorem, hanc per illam probando, non minus quam illam, vi huius antea probat: hoc enim habet proprium motus circularis & in eo à cæteris lationibus differt quod terminum à quo incipit, repetat: atque vt Seneca lib. 5. de benef. c. 8. verbis vtat, eius vi omnia quomodocumque verini, in idem reuertiuntur.

Porro autem hoc genus arguendi magnam facit persuasionem veritatis, intellectumque confirmat, tum in præmissis, tum etiam in conclusione: cum enim probetur hæc per illas, & illarum altera rursus per hanc, ac sibi mutuam vicem rependant, hoc equidem argumento, eique non exiguo, esse potest, veritatem vtrisque constare; namque, vt dici solet, verum vero consonat. æterum argui nequit hoc pacto, nisi quando termini sunt suapte natura conuertibiles, sic vt neuter latius alio pateat fundatur, cuiusmodi sunt homo, rationale, risibile, in propositis syllogismis: siquidem minor prioris, videlicet omne risibile est homo, cum sit vniuersalis affirmatiua, nequit vi formæ conuerti simpliciter in hanc, quæ subit rationem minoris in posteriori, nempe omnis homo est risibilis: eiusmodi ergo conuersio ad hoc genus argumentandi circulare omnino necessaria nequit fieri, nisi gratia materiæ, siue terminorum, ac proinde hi tales esse debent, quales statuimus.

## C A P V T II.

### De syllogismo, opposito, infinito, & conglobato.

Syllogismus oppositus, quem alij plures vocant sex oppositis, est quo quis concedens duas contradictorias, vel contrarias, eo reducit, vt idem de se ipso neget, & hominem v.g. non esse hominem, aut animal non esse animal adstruat, quo tamen nil magis euidenter falsum aut à ratione alienum, quemadmodum nil magis euidenter verum, aut rationi consonum, quam si idem de se ipso affirmes hoc pacto, homo est homo, aut animal est animal. Quocirca tum potissimè locum habet hic arguendi modus, cum res ad triarios redit, & conuincendus est ille, qui in extremam proteruiam, aut ignorantiam lapsus ne vrgetur reductione per impossibile, sed potius contrarietatem, aut contradictionem, ad quam hæc perfert, sine molestia deuorat. Exemplum autem huius argumentationis sit hoc in Cæsare, nullus homo est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est homo; & hoc in Festino, nullus



nullus homo est animal, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo non est homo.

- 11 Obiicit tamen priorem syllogismum (par autem est ratio posterioris, & cuiuscunque alterius ex oppositis) inutilem, & vitiosum esse, quippe qui constat duplici medio, nimirum animali, quod bis ponitur in præmissis, & homine, qui etiam in eis ponitur semel, & iterum: rursus eum syllogismum simul esse in secunda, & tertia figura, quo tamen nihil fingi potest magis commentitium: in hac, propterea quod hominem bis subiiciat: in illa, propterea quod animal bis prædicet.

- 12 Respondeo medium in eo syllogismo esse non hominem sed duntaxat animal, adeoque non duplex, sed vnum: tum quia medium semper debet esse extrâ conclusionem. homo autem eam ingreditur: tum quia animal assumitur ad probandum, quod homo non sit homo, non vero homo; ad hoc ut animal non sit animal; hoc igitur non ille sortitur rationem medij: neutiquam autem obstat in contrarium, quod homo bis ponatur in præmissis: ponitur enim tanquam quidpiam distinctum à se ipso, & non velut vnus terminus, sed velut duplex, quorum alter sit idem cum animali, & alter ab eo distinctus: atque hinc etiam fit, eiusmodi syllogismum esse duntaxat in secunda figura, non autem in tertia: solum namque hominem, qui non est medius terminus, bis subiicit, cum tamen animal medij rationem obtinens bis deprædicet. Verum enimverò prædictus syllogismus mutata conclusione constitui potest in tertia figura, & secundam prorsus exuere: atque ita non animal, sed homo sortietur in eorationem medij, veluti, si illum ita refingas, nullus homo est animal, omnis homo est animal, ergo aliquod animal non est animal, quæ conclusio est in Felapton: par ratio est posterioris syllogismi, cuius vsi sumus exemplo: potest enim in Ferison ita refingi, cum esset antea in Festino, nullus homo est animal, aliquis homo est animal, ergo aliquod animal non est animal: par etiam est ratio cuiuscunque alterius syllogismi, quem ex oppositis nuncupant.

- 13 Porro autem hæc ratio syllogizandi locum etiam habet in extremis tantum virtualiter oppositis, ut omne animal est viuens, nullus homo est viuens ergo nullus homo est animal, quæ conclusio id virtualiter de se ipso negat, continet enim hanc, ergo nullus homo est homo, haud aliter ac maior est minori virtualiter opposita, continet enim hanc, omnis homo est viuens. Illud etiam est animaduertendum, huic argumentationi neutiquam congruere oppositionem subcontrariam, aut subalternam, siue formales sint, siue virtuales duntaxat: non hanc, tum quia propositiones subalternæ interdum sunt ambæ negatiuæ; ex puris autem negatiuis nihil concludi potest aptè, & syllogisticè: tum etiam, quia si ambæ sint affirmatiuæ, haud quaquam inferuient ad idem negandum de seipso, qui tamen est potissimus huius argumentationis scopus: tum denique quia ne ad idem de seipso affirmandum inferuire possunt, quando affirmant ambæ; haud enim sequitur vi formæ, omnis homo est animal, aliquis homo est animal: ergo aliquis homo est homo, aliàs sequi etiam posset, aliquem equum esse hominem, hunc in modum, omnis homo est animal, aliquis equus est animal: ergo aliquis equus est homo; quod si non subiectum propositionum subalternarum, quo de hæcenus, sit affirmandum de semetipso, sed eorum prædicatum de earundem etiam prædicato, eas haud inficier huic muneri satisfacere posse, quo-

ties vtraque est affirmatiua: valet enim in Datissi, omnis homo est animal, aliquis homo est animal: ergo aliquod animal est animal, sicut omnium consensu valet in eodem modo, omnis homo est animal, aliquis homo est albus, ergo aliquod album est animal: Non iam illam, videlicet subcontrariam, quoniam ex puris particularibus, cuiusmodi sunt propositiones subcontrariæ oppositæ, nihil sequitur, ut est apud omnes in confesso, utque vel in hac ipsa materia luce clarius apparet: quid enim hoc syllogismo ineptius, aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus, ergo aliquod album non est album.

Syllogismus infinitus dicitur ille, qui constat terminis infinitis: pro quo sint duæ regulæ sequentes. In modis affirmatiuis syllogismi infiniti eorum qui terminis constant finitis normam prorsus sequuntur veluti omne non animal est non viuens, omnis lapis est non animal, ergo omnis lapis est non viuens, in Barbara. Idem haud minus manifestis exemplis cernere erit, discurrendo per cæteros modos affirmatiuos, tum primæ figuræ, tum etiam aliarum duum. Cæterum in modis negatiuis haud est par ratio, aut conditio syllogismorum, qui terminis infinitis, & qui finitis coalescunt: Nam in prima figura nil directè concluditur ex minori negatiua, quando termini syllogistici sunt omnes finiti, ut constat à posteriori ex Laërte, & Catocho, utque inter omnes est exploratum: at, si termini aliqui sint infiniti, fieri aliquando potest, ut in prima figura ex minori negatiua utilis, ac vera conclusio existat, ut omne non rationale est non homo, nullus equus est rationalis, ergo nullus equus est homo: hic enim syllogismus, eius maior, si per contrapositionem conuertatur in hanc, omnis homo est rationalis, reduci potest ad hunc in Camestres, omnis homo est rationalis, nullus equus est rationalis ergo nullus equus est homo: aut, si per regulas infinitarum eius minor mutetur in hanc, omnis equus est non rationalis, potest reduci ad hunc in Celarèt, omne non rationale non est homo, omnis equus est non rationalis, ergo nullus equus est homo.

Rursus, ut secundam regulam traditam confirmem amplius, nec in prima figura, nec in alia vlla quidquam concluditur ex ambabus præmissis negatiuis quando termini sunt finiti, ut constat ex Colophone, Euterpe, Leponto, Moreto, & cæteris id genus modis, utque omnes habent in confesso: at si termini syllogistici infinitudinem induant, ambabus præmissis negatiuis vis inerit aliquid verè concludendi, ut nullum non rationale est homo, nullus equus est rationalis: ergo nullus equus est homo: hic enim syllogismus æquiualeat priori quoad minorem negatiuo, ex quo arguebamus num. præc. ad eumque reuocari potest, si iuxta regulas infinitarum eius maior, videlicet nullum non rationale, est homo. siue omne non rationale non est homo, mutetur in hæc, omne non rationale est non homo; atqui prior ille syllogismus vtiliter concludit, ut ex Camestres, & Celarèt probatū manet: ergo & hic posterior, cum tamen ambabus præmissis negatiuis coalescat.

Tandem in vtroque syllogismo, vnde argumentabamur, sunt non tres termini tantum, sed plures, videlicet quinque in priori, ut non rationale, non homo, rationalis, equus, homo, & in posteriori quatuor, ut non rationale, rationale, homo, equus: at, quoties syllogismus constat terminis finitis, hi in illo amplius quam tres esse non sultinent, ut certo certius. Enimvero, cum sint in modis negatiuis, tum primæ figuræ, ut exemplis ostensum manet, tum etiam duarum sequentum, ut facitè possit ostendi,



ostendi, non pauci syllogismi infiniti, qui leges finitorum abrogant, haud alia potest industria sciri, quando concludunt vtiliter, quam si reducantur ad modos vtiliter, ac falli nescios, videlicet, Celarent, Camestres, Cesare, aliove similes, vt superius perstrictum.

17 Syllogismus conglobatus est, qui non tres propositiones solas, sed plures complectitur; de quo illud potissimum disquiri potest, an sit in mente, an vero in solis vocibus. P. Vallius 3. p. introduct. c. 4. & cum eo plerique dialectici censent, illum reperiri in solo vocum cortice, & in mentis abdito non vnum syllogismum esse, sed plures realiter distinctos. Ceterum oppositum mihi semper est probabilius visum: quoniam hæ propositiones mentales, Petrus est homo, homo est animal, animal est viuens, viuens est substantia, & substantia est ens, hæ inquam se solis sumptæ, & quin resoluantur in plures syllogismos possunt inferre hanc, ergo Petrus est ens: syllogismus igitur conglobatus quinque præmissis, & vna conclusione constans potest in mente reperiri; consequentia est perspicua: antecedens probatur; nam ex propositiones mentales per se solas implicite, & virtualiter representant, ac proponunt intellectui obiectum huius propositionis, Petrus est ens, ergo se solis, & in nullos syllogismos resolutæ poterunt eam colligere, haud secus ac duæ propositiones ob eandem rationem se solis tertiam deducunt.

18 Confirmatur, & declaratur: Hoc principium, quæ sunt eadem mediatæ vni tertio sunt idem inter se, veritatem habet infallibilem, & irrefragabilem: at prædictæ propositiones in vnum conglomeratæ, ac prorsus irresolutæ representant Petrum, & ens esse mediatæ idem vni tertio, nimirum homini, aut si mauis, substantiæ; ergo optime concludere poterunt, Petrum, & ens esse idem inter se, siue Petrum esse ens. Quocirca præter syllogismos trigonos, & vulgares erunt in intellectu nostro syllogismi tetragoni, pentagoni, hexagoni, heptagoni, alique similes, quorum alij quinque pedibus, alij pluribus consent. procedantque.

### CAPVT III.

#### De Syllogismo expositorio, seu singulari.

19 PRæter syllogismum communi constantem medio, qui inter Philosophos est magis vsitatus propterea quod scientiæ sunt plerumque de rebus vniuersalibus, & in cuius vsum inseruiunt modi illi vulgares, Barbara, Celarent & ceteri, est alius, qui constat medio singulari. Dicitur autem solet singularis, vel propter singularitatem mediij termini, qui inter omnes syllogisticos est potissimus, vel propter singularem concludendi vim, & efficacitatem ei insitam: vocari etiam consuevit expositorius, propter summam eius euidentiam, quæ in causa est, vt rem veluti ob oculos exponat: nec non sensibilis, vel ex eodem titulo, & ob perspicuitatem, & claritatem qua rem veluti sensibus obicit, ac demonstrat, vel quod medio singulari, adeoque sensibili vtatur: secus verò communi, quod non sub sensum cadit, sed sub intellectum.

20 Porro duplex est alius, cuius non solum medius terminus, sed etiam reliqui sunt singulares; alius verò, qui medio termino singulari gaudet, alios vero communes admittit etiam. Syllogismus expositorius prioris generis quatuor tantum modis

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

construi potest in singulis figuris, si solas species præmissas, videlicet ex ambabus affirmatiuis, aut ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, aut è contrario ex maiori affirmatiua, & minori negatiua, aut denique ex ambabus negatiuis: cum enim qualitas propositionis haud nisi quatuor iis rationibus possit in huiusmodi syllogismo expositorio variari, quantitas autem diuersa nullum in eo locum habeat, propter singularitatem omnium eius propositionum, nil mirum, quod quadruplex tantum eius esse possit modus, in qualibet figura. Eorum autem quartus, & vltimus vbi libet est inutilis, eiusque nulla in præsentia habenda ratio, sed duntaxat aliorum trium.

Vt ergo auspicem à prima figura omnibus tribus modis supra dictis vtiliter in ea concludit syllogismus, quo de loquimur: primo quidem, nam vi formæ valet, hic homo currit, Petrus est hic homo, ergo Petrus currit, & è conuerso, ergo aliquod currens est Petrus: Secundo etiam modo; valet enim hic homo non currit, Petrus est hic homo, ergo Petrus non currit, & è diuerso, ergo aliquod currens non est Petrus: insuper tertio, vt hic homo currit, Petrus non est hic homo, ergo aliquod currens non est Petrus, non tamen directe, ergo Petrus non currit, cum fieri possit vt ambo quantumlibet distincti simul currant, in quo diffidet hic modus à duobus prioribus, qui tam directe, quam indirecte concludunt, vt est exemplis ostensum.

Iam in secunda figura hoc genus syllogismi expositorii, de quo impræsentiarum, totidem modis concludit, non solum propositionem conuertibilem, sed etiam eius conuertentem: sequitur enim, Petrus est hic homo, hic Apostolus est hic homo, ergo hic Apostolus est Petrus, nec non, ergo Petrus est hic Apostolus: similiter, hic homo est Petrus, Paulus non est Petrus, ergo Paulus non est hic homo, nec è diuerso: ac denique Petrus non est Paulus, hic homo est Paulus, ergo hic homo non est Petrus, nec vice, vt aiunt versa. Postremò prior hæc syllogismi expositorii species, tribus etiam modis vtiliter colligit in tertia figura: siquidem valet, hic homo currit, hic homo est Petrus, ergo Petrus currit, & è conuerso aliquod currens est Petrus: item Petrus non currit, Petrus est hoc viuens, ergo hoc viuens non currit, atque aliquod currens non est hoc viuens: ac tandem, hic homo currit, hic homo non est Paulus, ergo aliquod currens non est Paulus; sed valet è conuerso, ergo Paulus non currit.

Syllogismus expositorius posterioris generis, ac propositiones communes saltem aliquas admittens in prima figura quatuor habet modos vtiliter: Primus est ex maiori singulari affirmatiua, & minori vniuersali affirmatiua, veluti Petrus est hic homo, omnis princeps Apostolorum est hic homo, ergo omnis princeps Apostolorum est Petrus: Secundus est ex maiori itidem singulari negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, vt Petrus non est hic homo v. g. Ioannes, sed omnis princeps Apostolorum est Petrus, ergo nullus princeps Apostolorum est hic homo: Tertius est, quando loco minoris vniuersalis affirmatiuæ substituitur particularis affirmatiua, & ex ea, maiori que singulari affirmatiua infertur conclusio particularis. Quartus est, quando ex minori particulari affirmatiua vniuersali substituta, & maiori singulari negatiua infertur particularis negatiua. Quocirca hi quatuor modi, quibus etiam inest vis indirecte concludendi, vt apparebit inuenienti paulo attentius, respondent quatuor vulgari-

Q bus



bus modis perfectis primæ figuræ, quos vocant Barbara, Celarent, Darij, Ferio: horum enim ritu conclusionem vniuersalem affirmatiuam, vniuersalem negatiuam, particularem affirmatiuam, & particularem negatiuam inferunt: simili etiam minori gaudent differuntque ab eis solius mutatione maioris, quæ in his, de quibus loquimur, est perpetuò singularis, cum tamen in illis sit vniuersalis, propterea videlicet quod medius terminus horum sit singularis, illorum verò vniuersalis: hinc siquidem est, vt, cum in prima figura subiiciatur semper in maiori, eam mihi reddat vniuersalem, hic autem singularem.

24

In secunda figura hæc secunda syllogismi expositori species, cum singularitate medijs vniuersalitate propositionum omnium, vel certe aliquarum coniungens, præter quatuor vulgares modos negatiuè concludentes, nimirum Cæsare, Camestres, Festino, Baroco, vt v. g. in modo Cæsareo nullus impenitens est Petrus, omnis princeps Apostolorum est Petrus, ergò nullus princeps Apostolorum est impenitens, præter hos inquam, cohibet alios quatuor affirmatiuè concludentes, quorum primus ex duabus sumptionibus vniuersalibus colligit vniuersalem, vt omnis Baptista Christi est Ioannes, omnis filius Zachariæ est Ioannes, ergò omnis filius Zachariæ est Baptista Christi, & è conuerso, non tantum aliquis, sed omnis Baptista Christi est filius Zachariæ: Secundus ex duabus particularibus particularem; vt aliquis innocens est Ioannes Baptista, aliquis homo est Ioannes Baptista, ergò aliquis homo est innocens, & è conuerso. Tertius ex maiori vniuersali, & minori particulari particularem, & eius conuertentem. Quartus ex maiori particulari, & minori vniuersali, tum particularem, tum etiam vniuersalem, & eam qua conuertitur alterutra.

25

Hi quatuor modi in eo dissident à vulgaribus quod ex duabus particularibus concludant particularem, quod ex particulari vniuersalem, & quod in secunda figura affirmatiuè. Nihilominus eos vtiles esse, & nulli obnoxios falsitati constat, tum exemplis, quæ præter duo posita sunt non pauca, eaque manifesta: tum quia omnes reduci possunt ostensiuè ad modos aliquos perfectos primæ figuræ, solius conuersione maioris, videlicet primus, & quartus ad Barbaram, & secundus, ac tertius ad modum regis Darij: exemplum primi erat, omnis Baptista Christi est Ioannes, omnis filius Zachariæ est Ioannes, omnis ergò filius Zachariæ est Baptista Christi: conuertatur ergò maior, & talis existet syllogismus in Barbara, si non formaliter ob conuertentem singularem, at certè æquiualeuter, & paris euidentiæ, & efficacitatis, Ioannes est Baptista Christi, omnis filius Zachariæ est Ioannes, ergò omnis filius Zachariæ est Baptista Christi: cæterarum autem reductionum paradigma haud sunt minus facilia; sed temporè donanda: tum denique, quia prædicti modi possunt probari per reductionem ad impossibile, primus, & quartus in Bocardo, secundus, & tertius in Ferison: fac enim, conclusionem primi, cuius adhibuimus exemplum, semel, & iterum concessis præmissis negari; sumatur ergò eius contradictoria, videlicet aliquis filius Zachariæ non est Ioannes, & retineatur antiqua maior, atque è vestigio sequetur contradictoria maioris concessæ in Bocardo, hoc pacto: aliquis filius Zachariæ non est Baptista Christi, omnis filius Zachariæ est Ioannes, ergò aliquis Baptista Christi non est Ioannes. Eodem modo poni possunt exempla in cæteris tribus modis eorumque potest reductio per impossibile declarari.

26

Præter hos octo modos syllogismi expositorii, constantis in secunda figura propositionibus omnino communibus, sunt in illa alij, quarum altera præmissa est singularis, & altera, vel vniuersalis, vel particularis, & alterutrolibet ex titulo communis: quatuor videlicet, quoad conclusionem, & minorem, similes vulgaribus, nimirum Cæsare, Camestres, Festino, ac Baroco, ab eisque diuersi, ratione solius maioris, non quoad eius qualitatem, sed quantitatem, ita vt quæ antea erat vniuersalis, sit singularis, veluti in Camestres, Petrus currit, nullum sedens currit, ergò nullum sedens est Petrus: rursus alij duo in eo vulgaribus similes, quod earum maior sit, aut vniuersalis affirmatiua, aut vniuersalis negatiua: dissimiles verò in eo quod illorum minor nunc sit singularis affirmatiua, nunc singularis negatiua: conclusio autem horum duum, sicut & priorum, est perpetuò negatiua: deinde alij quatuor affirmatiuè concludentes, similes eis quatuor, quos paulo superius diximus tribus syllogismorum legibus nequitiam stare, similes inquam quoad maiorem, & quoad minorem diuersi, aut è conuerso: nam si maior sit singularis, aut subsumitur vniuersalis minor, & sic primus modus existet, aut minor particularis, & ita secundus resultabit modus: si autem minor fuerit singularis, vel quæ præcedit maior est vniuersalis, vel potius particularis, atque ita locus erit tertio, & quarto. Porro hi decem modi ad finem superadditi, & exemplis satis manifestis, & consensu non paucorum dialecticorum, & reductione ostensiuè, ac per impossibile potest apprimè confirmari, idque habent commune cum plerisque alijs hætenus explicatis, quod non tantum conuertibilem, sed etiam eius conuertentem concludant, sic tamen vt tam hi, quam illi propter hanc conclusionum diuersitatem possint subdiuidi iuxta doctrinam tract. præced. cap. 3. traditam.

27

In tertia figura confici nequit posterior hic syllogismus expositorius iam iam expositus, solumque in eo locum habet prior ille ad initium capitis enucleatus, & nullius propositionis, nisi singularis, capax: ratio est, quoniam oportet in eo medium singulare in vtraque præmissa subiici: geminatam enim subiectionem medijs postulat tertia figura: singularitatem autem eius natura syllogismi expositorii à cæteris per quam diuersa: fieri ergo nequit, quin vtramque singularem efficiat, ac neutram esse communem permittat.

## CAPVT IV.

## Superioris doctrinæ prosecutio.

28

Circa syllogismum expositorium nonnulla occurrunt dubia, quorum resolutio superiori doctrinæ lucem adiciet non exiguum. Eorum primum sit, an hic syllogismus, quo de agimus, maiorem habeat euidentiā, & vim concludendi in tertia figura, quam in duabus anterioribus? videntur affirmare Louanienses lib. 1. cap. 6. Conimbricenses ibidem quæst. vnica art. 2. Auerſa tract. 4. institut. c. 15. alique plures. Primum quia Aristoteles egit de huiusmodi syllogismo in tertia figura, quod argumento esse potest, eam inibi esse præstantiorem: Secundò quia vis huius syllogismi innititur his solis principiis, quæ sunt idem vni tertio, sunt idem inter se, quæ non sunt idem vni tertio, sed alterum ei idem, alterum ab eo diuersum, nec sunt idem inter se, sed potius



potius distincta inuicem: illa autem, quæ affirmantur de aliquo, de eodem negantur potissime, & maxime sunt ei idem, vel diuersæ: ergo in tertia figura, ubi medium, siue vnum tertium subiicitur ex æquo ambobus extremis, & hæc de illo simul prædicantur, in ea inquam magis quam in alia vlla locum, ac vim habent talia principia, adeoque modus arguendi eis innixus.

29 Tercio directæ, & naturalis prædicatio est magis euidens, ac perspicua quam indirectæ, & innaturalis: semper autem ratio communis de singulari prædicatur directè & naturaliter, non è conuerso: syllogismus ergo expositorius in tertia figura prædicans rationem communem de medio singulari erit euidens, eo qui, aut in secunda figura rationem singularem de communi bis prædicat, aut in prima semel saltem. Quartò, in secunda medium singulare, quantumvis tale sit, cum prædicetur de pluribus, de vtroque videlicet extremo syllogistico, induit naturam rei communis: hoc ergo ex titulo est quadatenus ineuidens ritu medij communis, & vniuersalis: in prima autem figura semel saltem prædicatur medium: cum ergo prædicabilitas sit proprietas vniuersalis ad vniuersalitatem, adeoque ad ineuidens aliquam declinat: neutra autem ratio harum procedit in tertia figura, ubi nullatenus prædicatur medium. Quintò tandem syllogismus expositorius nunquam ferè colligit conclusionem vniuersalem, propter singularitatem potissimum, ac medij termini, quo suapte natura vtitur: atqui in tertia figura nullus modus concludit vniuersaliter, sed omnes particulariter, cum tamen in modis primæ, ac secundæ figuræ aliter vsuenerit: latius ergo funditur, ac pluribus modis concludit syllogismus expositorius in tertia figura, quam in aliis, ac proinde eius euidens ibi erit saltem extensius maior.

30 Hæc tamen argumenta non tollunt, quo minus contraria sententia que mihi semper magis placuit, sit verisimilior, ac fortasse verior. Ad primum respondeo, Aristotelem egisse de syllogismo expositorio in tertia figura; vel quia stetit pro ratione voluntas; parum enim intererat, vbi nam de eo diceretur; vel quia commodum fuit aggredi post omnes figuras syllogismum ad vulgares omnium modos probandos natum. Ad secundum respondeo, falsum esse modum arguendi expositorium eis solis inniti principiis, quæ sunt eadem vni tertio, &c. non verò eis, quæ dici de omni, ac dici de nullo dicuntur, vt optime nostri Conimbricenses cap. 6. lib. primi priorum, quæst. vnica art. 1. aduersus quosdam, quos ibi suppressis nominibus referunt: hi enim syllogismi sunt expositorii, omnis qui est Petrus, est hic homo, sed princeps Apostolorum est Petrus, ergo hic homo nullus qui est Ioannes, est hic homo, sed Baptista Christi est Ioannes, ergo non hic homo: quis autem non videat, hos & innumeros alios, eis ab similes inniti, ac veluti tibicinari duobus illis principiis, dici de omni, & dici de nullo, quæ etiam regulatiua dialectici appellantur. Deinde respondeo, haud solum ea dici idem vni tertio quæ de eo affirmantur, sed etiam quæ ei subiiciuntur: ecquid enim est, vnum alteri subiici, quam esse idem cum illo; hunc hominem v.g. esse subiectum animalis, quam ei idem reuera? Consequi sanè non possum, quo colore contrarium sit opinatus Auerſa loco nuper citato.

31 Ad tertium respondeo negata maiori: cur enim sit euidens, Petrum esse animal, quam aliquod animal esse Petrum? Ad quartum respondeo, medium terminum singularem in secunda figura nil de singularitate sua deperdere, nil vniuersalitatatis,

P. Lyncei Philosophia. Tom. I.

aut cum ea coniunctæ ineuidens, & obscuritatis assumere, propterea quod prædicetur de duobus extremis: ambo enim proprie plura non sunt, sed vnum: vnde in conclusione postea de se prædicantur inuicem: prædicabilitas autem medij singularis in prima figura haud facit illud vergere ad vniuersale, aut vllam eius conditionem sapere, proprietatemve sibi vindicare; nam etiam indiuiduum, & singulare definiri solet, prædicabile de vno solo. Ad quintum respondeo, syllogismos vulgares, & communi constantes medio id habere, vt in tertia figura nunquam vniuersaliter concludant, cum tamen in secunda, & prima multoties aliter contingat. Cæterum syllogismos expositorios, & medio singulari constantes, de quibus est sermo, in tribus figuris ex æquo concludere singulariter, & non vniuersaliter, nec paucos, sed innumeros eorū modos, vt ex discursu capitis præcedentis constat: curnam ergo euidens huius argumentationis latius pateat, & vt aiunt, extensius sit maior in tertia figura, quam in aliis duabus.

32 Secundum dubium est, num etiam in Deo locum habeat hic arguendi modus, quem expositorium vocant? Respondeo, si terminus singularis communis tribus personis pro eis nequaquam distribuatur, sed sine syncategoremate, *omnis*, & quouis alio vsurpetur, eum haud esse medium aptum in syllogismo expositorio: quocirca non sequetur, essentia diuina est pater, filius est essentia diuina, ergo est pater, vt animaduertunt Marsilius in 1. quæst. 6. art. 1. & ex ipso, & aliis scholasticis antiquis. Conimbricenses supra 1. prior. qu. vnica. art. 1. & Auerſa loco etiam superius memorato, Cæterum ubi terminus singularis in omnes tres personas diuinas patens, ac late fusus distribuatur, noteturque particula, *omnis*, aut alia id genus appellante, non supra Deum, sed supra personam, hunc videlicet in modum: omnis, qui est essentia diuina, Deusve, non verò ita, omnis Deus, omnis essentia diuina, sic profecto neutiquam inficiet, eum aptum esse syllogismo expositorio: talis enim est hic: omnis, qui est essentia diuina est pater, sed filius est essentia diuina: ergo & pater: cuius, si præmissæ essent veræ, haud dubie vera quoque esset illius conclusio: at, cum eius maior sit falsa, ea causa est, cur malè concludat: contra verò hic syllogismus expositorius in diuinis valet, & ex præmissis veris veram etiam conclusionem colligit, omnis qui est essentia diuina est æternus, sed filius est essentia diuina, ergo æternus: Quod si quis obiciat, adiectione eius particule, *omnis*, essentiam diuinam à ratione medij singularis extrahi, & quodammodò medium commune reddi, nullumque proinde in mysterio Triados locum esse syllogismo expositorio, facile responderi potest ex dictis, eam particulam neutiquam appellare supra essentiam diuinam: ipsa ergo est semper singularis, aliundè vero medijs terminus, cum sola sit, quæ bis ponitur in præmissis, semel videlicet in maiori, tametsi in consortio illius particule complexæ, *omnis qui est*, & iterum in minori, per seipsam duntaxat, & omni alio termino incomitata; attamen, si quis propter vniuersalitatem eius syncategorematis, *omnis*, renuat prædictum syllogismum, vllumvè alium similem in diuinis esse expositorium, quæstio erit de solo nomine, & cuius vtram sequaris partem, non multum laboro: quanquam id negare nequeam modum loquendi superius optatum mihi etiamnum magis arridere, præsertim cum syllogismus expositorius inibi adductus in aliorum paradigma perinde sit atque hic, si aliquis est essentia diuina est pater, sed filius est essentia diuina, ergo est pater: hanc enim

Q. 2

enim



enim ratiocinationem quis neget expositorem, & medio fretam singulari, nimirum essentia diuina, eaque seclusa à syncategoremate, *omnis*, omnique alio simili: aut quis neget, in dubiumve reuocet eius efficacitatem, ac vim prorsus ineluctabilem, merito cuius concessis præmissis nequit illius conclusio non concedi, tametsi absolute falsa, propter alterius præmissæ falsitatem.

33 Tertium dubium est an syllogismus expositorius vim habeat ad probandos efficacius alios medio communi innixos, eorumque conclusiones clarius inferendas: Affirmant cum Arist. omnes, & merito: fac enim in Darapti confici hunc syllogismum, *omnis homo est substantia, omnis homo est viuens: ergo aliquod viuens est substantia*: ista sanè conclusio si negetur, poterit per expositionem ita longè clarius, & euidentius probari, hic homo v.g. Petrus est substantia, sed idem est viuens, ergo aliquod viuens est substantia: Fac etiam hunc syllogismum construi in Ferison, nulla bellua est homo, aliqua bellua est equus, ergo aliquis equus non est homo, eius perfectò conclusio si negetur, luce clarius poterit hac expositione probari, hæc bellua est equus, ea, inquam, ratione cuius verificatur propositio particularis, & hæc eadem bellua non est homo, cum nulla sit homo, aliquis igitur equus non est homo.

34 Atque hinc est, syllogismus expositorius alios apprimè probare, eorumque præmissis lucem, & vim tribuere, vt melius, ac perfectius concludant: nam quidquid sequitur ex consequenti, sequitur ex antecedente, vt est in veteri paræmia: at ex præmissis syllogismi expositorii sequitur conclusio syllogismi communis, mediove communi innitens: hæc autem ritè consequuntur ad præmissas communes syllogismi perfecti: aut etiam sub aliqua vniuersali accipitur alia singularis aut sub aliqua particulari singularis: vtraque autem illatio est euidentis: prior vi formæ, vt *omnis homo est substantia*, ergo Petrus est substantia: posterior verò non ratione formæ; haud enim valet, aliquis oculus requiritur ad videndum, hic ergo, videlicet dexter requiritur ad videndum, sed vi materiæ disunctiue: euidentissimum enim est vbi aliqua bellua sit equus assignari posse, & debere indiuiduum, & singulare quoddam belluini generis, quod sit equus: probatio autem per expositionem locum habet, quando accipitur sub præmissa particulari non disuncta, sed disunctiua quadam alia singularis, vt superius insinuat, vtque rectè monent Louanienses, & Conimbricenses iam laudati: eadem ergo conclusio, quæ ante non tam perfectè, & clarè sequebatur ex præmissis syllogismi communis, ex iisdem postea clarius, & perfectius sequitur mediantibus præmissis singularibus, ac syllogismi expositorii propriis.

35 Quoniam autem propositio conuertens est quodammodo conclusio deducta ex conuertibili, haud erit importunum hic breuiter explicare, quatenus probatio per expositionem huic argumentationi vim non mediocrem tribuat, summaque euidentia conuincat eum, qui supradictarum propositionum alteram concedit, alteramque negat sibi ipsi contradicere, atque in impossibile præcipitem ferri, aut potius ruere, vt docet Aristoteles lib. 1. prior. cap. 2. & ex eo Auerſa, ac ceteri dialectici. Finge ergo concedi hanc propositionem, nullus equus est homo, & negari eius conuertentem, nullus homo est equus: tum sanè huius contradictoria, scilicet aliquis homo est equus, esse debet vera, & omnis expers falsitatis: vocetur ergo ille, in quo verifica-

tur ea propositio disunctiua Petrus: hæc igitur est vera, Petrus est equus: proinde datur locus huic syllogismo per quem manifestè conuincitur contradictorium antecedentis concessi, siue propositionis conuertibilis; Petrus est homo, sed idem Petrus est equus, ergo aliquis equus est homo. Par ratio est aliarum conuersionum vniuersalium, secus verò earum quæ versantur in propositiones particulares, vt expendenti clarebit.

36 Postremum dubium est, quænam species syllogismi sit illa, cuius medium est commune, & vnus, vel alter terminus singularis: haud enim esse potest syllogismus singularis, siue expositorius, quæ est medij communitas: haud communis, quæ est duum extremorum, vel certè alterutrius singularitas. Respondeo quemadmodum dici solet expositorius syllogismus, cuius medium est singulare, siue extrema ei circumfusa sint singularia, siue secus, ita syllogismus, cuius medium est commune, dicendum esse commune, & expositionis prorsus expertem, siue extrema illius sint communia, siue singularia potius. Quando extrema iuxta cum medio sunt communia, vel disunctiue, vel distributiue, ac particula, *aliquis*, vel particula, *omnis* affecta, quot modos syllogismorum efficiant supra visum est tractatu præcedenti & à dialecticis comprehensum versiculis illis, Barbara Celarent &c. Quando autem extrema, seu communia, seu singularia, iunguntur inuicem medio singulari, quot etiam arguendi modos producant cap. superiori satis manet enucleatum. Quocirca tantum supersunt explicandi argumentationum modi, qui resultant ex conjunctione medij communis cum extremis, quorum alterutrum, vel saltem vnum est singulare.

37 Quod autem attinet ad primam figuram, duobus modis in ea hoc pacto concluditur, videlicet ex maiori vniuersali, & minori singulari affirmatiuis, idque tam directè, quam indirectè: vt omne animal, est viuens, Bucephalus est animal, ergo Bucephalus est viuens; & aliquod viuens est Bucephalus: nec non ex maiori vniuersali negatiua, & minori singulari affirmatiua, tum directè, tum etiam indirectè, veluti nullus equus est homo, Bucephalus est equus, ergo Bucephalus non est homo, & homo non est Bucephalus.

38 In secunda figura plures sunt modi huius argumentationis: etenim, si ambo extrema sint singularia, adeoque ambæ præmissæ illorum merito eandem quantitatem subeant, duo erunt modi, alter nimirum ex maiori affirmatiua, & minori negatiua vt Petrus currit, Paulus non currit, ergo Paulus non est Petrus, & ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, vt Petrus non currit, Paulus currit, ergo Paulus non est Petrus: alterutra autem inferre potest, tam conuertibilem, vt iam visum, quam eius conuertentem: quod si extremorum alterum sit singulare, alteramque præmissam singularem denominet, alterum verò sit commune, nec nisi hanc quantitatem tribuat: aut præmissa singulares sustinet in syllogismo prouinciam maioris; & sic pro quadruplice parietate minoris quadruplex modus resultabit: potest enim minor ea esse, vel vniuersalis affirmatiua, vel vniuersalis negatiua, vel particularis affirmatiua, vel particularis negatiua, haud secus atque in modis illis vulgaribus Cæsare, Camestres, Festino, Baroco, à quibus hi quatuor penes solam maiorem differunt: Sin autem maior subiciat extremum aliquod commune, adeoque sit communis ipsa: vel præcedit minorem maior vniuersalis affirmatiua, vel vniuersalis



uerfalis negatiua, ( neutrius enim qualitatis maior particularis in secunda figura quidquam concludit) atque ita existent alij duo modi, qui id commune habent cum quatuor proximè infinuatis, quod conuertibilem, & eius conuertentem ex æquo concludunt.

39 In tertia figura haud est fermè locus his argumentandi modis, qui propter singularitatem propositionum, vel omnium, vel aliquarum diuersi sunt ab vſitatis, & vulgo circumferri ſolitis: nam extrema ſingularia in hac figura, cum tantum prædicentur in præmiſſis, haud poſſunt eis tribuere ſingularitatem. Nihilominus conſiſtentiæ ſingularitatis duos in ea modos à vulgaribus quodammodo diſtinctos efficit; proptèr nimirum in illa, vel maius extremum ſingulare enunciatur de minori, vel minus de maiori, & vel conuertibilis ſingularis inferitur, vel quæ eam conuertit.

C A P V T V.

De ſyllogiſmo hypothetico, & diſunctiuo.

40 **P**RO prioris explicatione recolenda eſt quadrimembris diuiſio propoſitionis hypotheticæ, tradita ſuperius lib. 4. tract. 1. cap. 1. ex D. Thoma opul. 48. cap. 16. & Fabio lib. 5. inſtit. cap. 8. ſecundum quam videlicet, aut antecedens, & conſequens affirmantur ex æquo, aut ambo negantur, aut affirmato antecedenti negatur conſequens, aut è contrario, negato conſequenti affirmatur antecedens. Syllogiſmus ergo hypotheticus, ſeu conditionatus duas habet poſſiſſime figuras. Prima eſt, in qua arguitur à poſitione antecedentis ad conſequentis etiam poſitionem: in qua ſunt quatuor modi pro quadruplici propoſitionis hypotheticæ ſpecie iam explicata. Primus eſt omnino affirmatiuus, vt ſi eſt homo eſt rationalis: Secundus eſt omnino negatiuus vt ſi non eſt homo non eſt rationalis, ſed non eſt homo, ergo non eſt rationalis. Tertius eſt affirmatiuus antecedentis, & negatiuus conſequentis, vt ſi homo eſt cæcus non eſt videns, ſed eſt cæcus, ergo non eſt videns. Quartus eſt negatiuus antecedentis, & affirmatiuus conſequentis, vt ſi homo non eſt cæcus eſt videns, ſed non eſt cæcus, ergo videns. Secunda figura eſt, in qua arguitur à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis, ſuntque in ea more prioris quatuor modi, quorum primus incipit à propoſitione hypothetica omnino affirmatiua, vt ſi eſt homo eſt rationalis, ſed non eſt rationalis, ergo non eſt homo. Secundus à propoſitione hypothetica omnino negatiua, vt ſi non eſt homo non eſt rationalis, ſed eſt rationalis, ergo homo: Tertius eſt à propoſitione affirmatiua antecedentis, & negatiua conſequentis, vt ſi homo eſt cæcus non eſt videns, ſed eſt videns, ergo non eſt cæcus. Quartus à propoſitione negatiua antecedentis, & affirmatiua conſequentis, vt ſi homo non eſt cæcus eſt videns, ſed non eſt videns, ergo cæcus.

41 Porro autem, vt colligere eſt ex ſauello tract. 9. dialect. parte 7. aliſque ſcholæſticis, vtque per ſe perſpicuum eſt, quatuor modis vtilibus prima figura correspondent totidem inutiles, in quibus arguitur à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis: non enim valet, ſi eſt homo eſt animal, ſed eſt animal, ergo homo: nec etiam, ſi non eſt animal non eſt homo, ſed non eſt homo, ergo non animal: nec item, ſi eſt homo non eſt equus, ſed non eſt

equus, ergo eſt homo: nec denique, ſi lac non eſt album eſt dulce, ſed eſt dulce, ergo non eſt album. Similiter quatuor modis vtilibus ſecundæ figuræ reſpondent quatuor inutiles, in quibus arguitur à deſtructione antecedentis ad deſtructionem conſequentis, vt etiam ſauellus vbi ſupra ac cæteri dialectici ſupponunt, vtque ſponte ſua manifeſtum: haud enim ſequitur, ſi eſt homo eſt animal, ſed non eſt homo, ergo non eſt animal: haud ſecundò ſi non eſt animal non eſt homo, ſed eſt animal, ergo homo: haud tertio ſi eſt homo non eſt equus, ſed non eſt homo, ergo eſt equus: haud tandem quarto, ſi lac non eſt album eſt dulce, ſed eſt album, ergo non eſt dulce. Quanquam autem vi formæ hi octo modi neutiquam concludant, vt exemplis eſt luculenter oſtenſum: valent tamen aliquando gratia materiæ, vt cum termini ſunt conuertibiles, aut correlatiui. Eſt etenim bona hæc illatio in prima figura, ſi eſt homo eſt rationalis, ſed eſt rationalis, ergo eſt homo: & in ſecunda figura, ſed non eſt homo, ergo non eſt rationalis: Nec minus bona eſt hæc in priori figura, ſi eſt pater in rerum natura eſt filius, ſed eſt filius, ergo eſt eius pater, & in poſteriori, ſed non eſt pater, ergo non eſt filius: aliis paradigmatis, propterea quod ſint facilia, ſuperſedeo.

Pro explicatione poſterioris ſyllogiſmi, videlicet diſunctiu, ſupponendum eſt propoſitionem diſunctiuam, vnde appellationem habet, præſertim quando non eſt nugatoria, ſed ſenſu inter philoſophos prædita, æquipollere conditionali; magnam certè vtrique vicinitatem, & cognitionem eſſe: Rurſus, vt ambæ æquipolleant, opus eſſe, vt ſi antecedens conditionalis propoſitionis ſit veluti affirmatum, idem, vbi reſoluitur in vnam diſiunctionis partem, ſit negatum, & ſi contra ſit negatum, affirmetur per propoſitionem diſiunctiuam: vnum & alterum docet inter alios B. Thomas opusculo ſuprà citato, cap. 18. Hinc eſt, vt ſicut in duabus figuris ſunt octo modi vtilis ſyllogiſmorum conditionalium, totidem etiam in iis ſunt modi vtilis diſiunctiuorum; proptèr nimirum loco propoſitionis conditionalis aſſumitur diſiunctiu, cui æquipollet: hæc enim more illius eſt quadruplex, & in quauis eius ſpecie bis argui poteſt, videlicet aut à poſitione alicuius aut contra ab alicuius deſtructione: quatuor autem bis ducta octo efficiunt: Primus ergo modus hypotheticus in prima figura erat, ſi eſt homo eſt rationalis, &c. ergo iuxta doctrinam ſuperiorem primus modus diſiunctiuus ei reſpondens ſit talis, aut non eſt homo aut eſt rationalis. ſed eſt homo, ergo rationalis. Secundus modus hypotheticus erat, ſi non eſt homo non eſt rationalis, ſed, &c. quare ſecundus modus diſiunctiuus erit, aut eſt homo aut non eſt rationalis, ſed non eſt homo, ergo non eſt rationalis. Tertius hypotheticus erat ſi homo eſt cæcus, non eſt videns, &c. tertius ergo diſiunctiuus erit, aut non eſt cæcus aut non eſt videns, ſed eſt cæcus, ergo non videns. Quartus hypotheticus erat, ſi homo non eſt cæcus eſt videns, ſed, &c. proinde quartus diſiunctiuus erit, aut homo eſt cæcus aut eſt videns, ſed non eſt cæcus, ergo videns.

43 Quod attinet ad ſecundam figuram vbi arguitur, à deſtructione conſequentis, promptum etiam eſt declarare proportionem inter ſyllogiſmum hypotheticum, & diſiunctiuum: primus modus illius erat, ſi eſt homo eſt rationalis, ſed non eſt rationalis, ergo non eſt homo: primus ergo huius erit, aut non eſt homo aut eſt rationalis, ſed non eſt rationalis, ergo non homo. Secundus huius erit, aut eſt homo, aut non eſt rationalis, ſed eſt rationalis, ergo homo. Tertius,



tius, aut non est cæcus aut non est videns, sed est videns, ergo non est cæcus. Quartus; aut est cæcus aut est videns, sed non est videns, ergo cæcus.

44

Animaduertendum autem est primò circa syllogismum hypotheticum, & disiunctiuum vtriusque proportionem, etsi magna sit, vt hætenus visum, tantam tamen non esse, vt non sit cum quadam inproportionem, ac dissimilitudine coniuncta. Nam in prima figura syllogismi hypothetici arguitur à positione antecedentis ad positionem consequentis, & in secunda, à destructione consequentis ad destructionem antecedentis. Cæterum syllogismus disiunctiuus hoc habet præ hypothetico, quod in eius maiori propositione non sit propriè antecedens, & consequens, conditio, & res sub conditione affirmata: item, quod in eius prima figura non fiat argumentum à positione vnius ad positionem alterius, aut in secunda à destructione vnius ad destructionem alterius, sed potius in ea, quæ primum locum obtinet ac primæ figuræ syllogismorum conditionalium respondet, à destructione prioris partis disiunctionis ad positionem posterioris, atque in ea quæ secundum locum sibi vendicat, ac secundæ figuræ syllogismorum conditionalium respondet à destructione posterioris partis disiunctionis ad positionem prioris. Atque hinc est, præter octo modos viles arguendi disiunctiuè paulò superius explicatos, totidem alios assignari posse inutiles, quibus nimirum arguatur vel à positione vnius partis disiunctionis ad positionem alterius, vel à destructione vnius ad destructionem alterius, vt erit intuenti palam.

45

Animaduertendum est secundò, circa vtrumque syllogismum duas tantum vnius, ac duas alterius figuras esse à nobis iure meritò constitutas: quamuis enim, vt dictum est semel, & iterum, in priori syllogismo frequens sit argumentatio à positione consequentis ad positionem antecedentis, & etiam à destructione antecedentis ad destructionem consequentis, neutra tamen peculiarem figuram constituit, cum de ratione figuræ sit, vt aliquos modos arguendi viles comprehendat: vtrique autem argumentatio supradicta est prorsus inutilis, & nunquam non falsitati obnoxia vi formæ. Quocirca quod superius statutum est, primam figuram hypotheticam esse, in qua arguitur à positione antecedentis ad positionem consequentis, & secundam, in qua à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, accipiendum ita est, vt semper debeat subintelligi particula, *utiliter*, cum tamen, si de inutili argumentatione sermo sit, vtrique figura sit laus extendenda, & prior comprehendat eam, in qua arguitur à positione, vel antecedentis ad positionem consequentis, vel huius ad positionem illius, & posterior eam, in qua à destructione, vel antecedentis, vel consequentis, ad destructionem alterius vtrius. Eadem de causa neutiquam est admittenda super duas assignatas duplex alia figura disiunctiua, quarum altera cohibeat modos arguendi à positione vnius partis disiunctionis ad positionem alterius, & altera arguendi à destructione vnius ad destructionem alterius. Quin potius in definitione duum figurarum, quæ pro syllogismo disiunctiuo sunt constitutæ, subaudiri oportet particulam, *utiliter*, vt in simili animaduersum paulo suprâ. Nam si sermo sit de inutilibus etiam arguendi locis, vtrique latius est fundenda, complectique debet modos omnes arguendi, non tantum à positione vnius partis disiunctionis ad destructionem alterius, & è conuerso, sed etiam à positione vnius ad alterius positionem & ab vnius quoque destructione ad demolendam alterâ.

Animaduertendum est tertio circa syllogismum hypotheticum (par autem est ratio disiunctiu) eum ac absolutum vulgaremque multis inuicem nominibus differre: hic siquidem innititur eis, principiis, quæ sunt eadem vni tertio, &c. ille vero, si sermo sit de eius prima figura, huic principio effectus conditionatus purificata, vt aiunt, conditione transit in absolutum: sin autem de secunda, huic ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis. Rursus in absoluto plerumque non arguitur bene ex puris negatiuis: at optimè in hypothetico, vt superiora exempla demonstrant. Præterea in absoluto ex puris particularibus nunquam est argumentum vllum, quod valeat, nisi sit expositorium: secus tamen accidit in hypothetico, vt si ita arguas, si aliquis homo currit mouetur, sed aliquis homo currit, ergo & mouetur. Posthac in syllogismo absoluto nullum extremorum bis in præmissis, aut ter in tota syllogismi serie ponitur: vtrumque autem vsu venit in syllogismo hypothetico, vt constat ex eo, cuius iamiam vsu sumus exemplo.

46

Animaduertendum est quartò, & vltimò, data opera hic à nobis prætermissum esse syllogismum copulatiuum: aut enim est talis, omnis homo est viuens, & corporeus, sed Petrus est homo, ergo viuens & corporeus, atque ita eius, & vulgaris carminibus illis Barbara, Celarent comprehensi eadem est forma: aut est potius talis, si Petrus est homo est viuens, & corporeus, sed est homo, ergo corpore, & vita præditus; & sic eadem eius est forma, quæ cuiusvis alterius hypothetici: quod autem materia sit diuersa, ac termini copulatiui modo sint, modo verò simplices, aut disiunctiu, nouum tractatum haud efflagitat; esset enim infiniti, ac superuacanei laboris: aut denique, quod superest, arguitur ita per terminos complexos, homo est, & viuens, ergo est viuens: cæterum hæc argumentatio non est syllogismus, quo de agimus, sed consequentia siue ethymema.

47

## CAPVT VI.

## De syllogismo modali.

Quidam authores multi sunt in explicanda propositione modali: syllogismum autem modalem, cuius potissime gratia ea debet explicari, omnino prætermittunt, deque illius oppositione, æquipollentia, conuersione, quantitate, ac variis speciebus longam disputationem texunt, huius autem ne mentionem faciunt: Hi similes mihi videntur ei, qui domus extruendæ causâ siluas, ac mentes cæderet, latomias lapidarias effoderet, laterculos duraret, calcem coqueret, & reliquum id genus materiam vndique cõquireret: tanti tamen laboris finem negligeret prorsus, fructumque, & pretium, in fabricata domo, lineret disperire. Quorum ego consilium probare nequeo, ac proinde quæ de syllogismo modali fuscè tradunt Aristoteles lib. 1. prior. cap. 13. & sequentibus, vsque ad vigesimum primum D. Thomas opusc. 48. cap. 13. 14. & 15. Conimbricenses & alij interpretes, hæc animus est in compendium redigere, si tamen antè duo animaduertam. Prius est, de modo tantum, necesse, & contingenti, nobis hic agendum esse: nam quæ sunt dicenda de necesse, locum habent in impossibili, nec non etiam in possibili, prout hoc aptitudinem tantum, & capacitatem essendi significat: quatenus autem

48



autem est alius eius intellectus, ac denotat idem, quod contingens, huius illiusque par est ratio. Posterius est, quamvis modus contingens multoties repræsentet solam habitudinem, ac relationem subiecti ad prædicatum eamque indifferentiam, quam habet alterum, ut subfit, vel non subfit, alterumque contra, ut insit, aut non insit alteri; quo ferme sensu à nobis est usurpatus supra lib. 4. tract. 5. cap. 1. 2. & 3. Cæterum in præsentī significare ulterius, quod prædicatum actu insit subiecto, & hoc illud participet: quare hæc propositio v.g. contingit Petrum currere, comprehendit aliam de inesse, & perinde est, atque Petrus currit, & cursus ei conuenit contingenter, & non sine indifferentia ad utrumlibet: quamobrem propositio illa modum, contingens, complexa, & quæuis alia id genus, est in materia necessaria, si prior eius sensus spectetur; sin autem posterior, in contingenti.

Quod ergo attinet ad modos, necesse, & contingens, præcisè quidem, ac sine vlla eorum, vel inter se inuicem, vel cum propositionibus de inesse mixture sumptos: inprimis, quotiescunque, & in quacunque figura, aut modo, vtraque præmissa fuerit de modo, necesse, conclusio eadem affecta necessitate sequetur; ut necesse, est omnem hominem esse animal, necesse est, Petrum esse hominem, ergo necesse est, Petrum esse animal; in modo regis Darij: necesse est, nullum lapidem esse animal, necesse est, omnem hominem esse animal, ergo necesse est, nullum hominem esse lapidem; in modo Cæsareo: necesse est, omnem hominem esse animal, necesse est, omnem hominem esse viuens, ergo necesse est, aliquod viuens esse animal, in Darapti. Rursus, si ambæ præmissæ sint de contingenti in prima figura, conclusio eandem contingentiam potest, ac debet sortiri: veluti contingit, omnem sedentem loqui, sed contingit, omnem hominem sedere, ergo contingit, omnem loqui: Par ratio est tertiæ figuræ, veluti contingit, omnem hominem currere, sed contingit omnem hominem loqui, ergo contingit aliquod loquens currere: Non tamen secundæ figuræ, vbi potius conclusio de contingenti est nulla, si ambæ præmissæ eodem prius sint affectæ modo, veluti contingit, nullum equum currere, contingit, omnem hominem currere: ergo contingit, nullum hominem esse equum.

Quod spectat ad syllogismos, quorum altera præmissa est necesse, & altera de inesse, in prima figura conclusio est de necesse, vbi maior de eo sit ac minor tantum de inesse, veluti necesse est, omne viuens esse animatum, omnis homo est viuens, ergo necesse est, omnem hominem esse animatum: cæterum, vbi è contrario maior in ea figura sit de inesse, ac maior de necesse conclusio conditionem maioris non minoris sequetur, eritque illius more de inesse, non huius de necesse, ut omnis homo est albus, necesse est, Petrum esse hominem, ergo Petrus est albus; non verò ergo necesse est, Petrum esse album.

In secunda autem figura, si sermo sit de primis tribus eius modis partim affirmatiuis, & partim negatiuis, videlicet Cæsare, Camestres, & Festino, vbi propositio negatiua fuerit de necesse, & affirmatiua dein esse, conclusio negatiua, ac debiliorem præmissam sequetur, eritque de necesse, ut omne animal est viuens, necesse est nullum lapidem esse viuens, ergo necesse est nullum lapidē esse animal: vbi verò propositio affirmatiua sit de necesse, & negatiua de inesse, conclusio erit de inesse, non de necesse, ut necesse est omne currens moueri, nul-

lus homo mouetur, ergo nullus homo currit; non autem, ergo necesse est, vllum hominem currere: Ast in quarto modo, nempe Baroco, siue ea propositio, quæ negat, siue ea quæ affirmat, sit de necesse, haud quaquam sequetur nisi conclusio de inesse, ut omne currens est equus, necesse est aliquem hominem non esse equum, ergo aliquis homo non currit; non autem, ergo necesse est, aliquem hominem non currere: atque ut necesse est, omne currens moueri, aliquis homo non mouetur, ergo aliquis homo non currit; non autem, ergo necesse est, aliquem hominem non currere.

In tertia figura primus eius modus, nimirum Darapti, semper infert conclusionem de necesse, quacunque eius præmissa sit de necesse, & quacunque de inesse; veluti omnis homo est animal, necesse est omnem hominem esse viuens, ergo necesse est aliquod viuens esse animal: nec non, necesse est omnem hominem esse animal, omnis homo est viuens, ergo necesse est aliquod viuens esse animal. Secundus verò eiusdem figuræ modus, scilicet Felapton, conclusionem de necesse colligit, si eius præmissa negatiua sit de necesse, alioqui solam de inesse, ut necesse est, nullum equum esse hominem, omnis equus est hinnibilis, ergo necesse est aliquod hinnibile non esse hominem: quamuis autem huiusmodi illatio sit bona, non tamen hæc, nullus homo est albus, necesse est omnem hominem esse animal, ergo necesse est, aliquod animal non esse album, sed potius, ergo aliquod animal non est album. Duo sequentes modi, videlicet Disamis, ac Datisi, vbi præmissa vniuersalis sit de necesse, & particularis de inesse conclusionem de necesse suo sibi iure vendicabunt: sin autem è conuerso se habuerint illorum præmissæ, non nisi de inesse: valet enim, necesse est omnem hominem esse animal, aliquis homo ridet, ergo necesse est aliquod ridens esse animal: non autem, omnis homo est ridens, necesse est aliquem hominem esse animal, ergo necesse est aliquod animal ridere, sed potius, ergo aliquod animal ridet. In postremo huius figuræ modo, nempe Ferison, si quæ negat præmissa, sit de necesse, & affirmatiua de inesse, sequetur conclusio de necesse; si secus, de inesse. Denique in penultimo eius modo, quem vocant Bocardo, nunquam est conclusio de necesse, sed semper de inesse. Vtrumque luculenter constabit intuenti paulò attentius.

Quod attinet ad syllogismos ex vna præmissa contingenti, & altera de inesse: in prima figura, si maior sit de contingenti, & minor de inesse, conclusio cōtingens euadet, & non solum de inesse, ut contingit omnem hominem loqui, omnis homo est animal, ergo contingit aliquod animal loqui: sin autem maior sit de inesse, & minor de contingenti, conclusio erit de inesse, & contingentia expers prorsus, ut omne sanum est animal, contingit omnem hominem esse sanum, ergo omnis homo est animal; non autem, ergo contingit hominem omnem esse animal: est enim necesse, qui ergo potest esse contingens?

Quod si in tribus primis modis secundæ figuræ præmissa vniuersalis negatiua sit de contingenti, & affirmatiua de inesse, non sequitur conclusio contingens, sed solum de inesse, veluti omnis homo currit, contingit nullum equum currere, ergo nullus equus est homo; non verò, ergo contingit nullum equum esse hominem: Quartus autem modus secundæ figuræ, nimirum Baroco, qualiscunque eius præmissa sit de contingenti, vbi altera sit de inesse, conclusionem inferet non contingentem, sed tantum



de inesse, ut contingit omnem hominem esse album, quidam lapis non est albus, ergo quidam lapis non est homo; non verò, ergo contingit quendam lapidem non esse hominem: quæ enim in hoc contingentia esse, quod periculum metui potest: atque, ut omnis homo est albus, contingit quoddam animal non esse album, ergo quoddam animal non est homo; non verò, ergo contingit quoddam animal non esse hominem, id siquidem est necessarium, ut quod maximè.

53 In tertia figura, quando maior est de contingenti, & minor de inesse, conclusio est de contingenti, ut v.g. contingit hominem omnem esse album, omnis homo est animal, ergo contingit aliquod animal esse album: si autem minor sit de contingenti, & maior de inesse, conclusio erit de inesse, non de necesse, veluti omnis homo mouetur, contingens est aliquem hominem currere, ergo aliquod currens mouetur; non autem, ergo contingens est aliquod currens moueri, cum potius necesse sit quidquid currit hoc ipso moueri.


54 Quod spectat ad syllogismos modales ex vna præmissa de necesse, & altera de contingenti: si in duobus modis affirmatiuis primæ figuræ, videlicet Barbara, & Darij, maior fuerit de contingenti, & minor de necesse: sequetur conclusio de contingenti, ut, contingit omne animal esse sanum, necesse est omnem hominem esse animal, ergo contingit omnem hominem esse sanum. Cæterum, si è contrario maior sit de necesse, & minor de contingenti, eo ipso erit conclusio, non de necesse, nec de contingenti, sed de inesse, ut necesse est omne dormiens esse animal, contingens est aliquem hominem dormire, ergo aliquis homo est animal, non verò ergo contingens est aliquem hominem esse animal, nec etiam, ergo necesse est, aliquem hominem esse animal, nisi per accidens spectata forma, soliusque gratia materiæ, ut constat ex hoc syllogismo, cuius consequentia est nulla, necesse est omne dormiens non vigilare, sed contingit aliquem hominem dormire, ergo necesse est aliquem hominem non vigilare. Similiter, si in duobus modis negatiuis eiusdem figuræ, nempe Celarent, & Ferio maior negatiua sit contingens, & minor affirmatiua de necesse, conclusio erit de contingenti, ut contingit, nullum animal currere, sed necesse est omnem hominem esse animal, ergo contingit nullum hominem currere: Verum, si propositio negatiua in eis sit de necesse, & affirmatiua de contingenti, ne sequetur conclusio de contingenti, nec de necesse, sed tantum de inesse, ut necesse est nullum ridens esse lapidem, contingit omnem hominem ridere, ergo nullus homo est lapis, non verò; ergo contingit nullum hominem esse lapidem, cum eiusmodi sit falsa, nec etiam; ergo necesse est nullum hominem esse lapidem: quamuis enim hæc conclusio sit vera, non tamen nisi vi solius materiæ, cum ratione formæ, & consecutionis possit ei subesse falsum, ut patet ex hoc syllogismo citrà dubium falsò concludente, necesse est nullum immotum currere, sed contingit omnem hominem esse immotum, ergo necesse est nullum currere.

55 In secundæ figuræ tribus primis modis, si præmissa negatiua sit de necesse, & affirmatiua de contingenti, conclusio nec erit de contingenti, nec de necesse, sed tantum de inesse: haud enim valet, necesse est nullum coruum esse album, contingens est omnem hominem esse album, ergo contingens est nullum hominem esse coruum: haud etiam, necesse est nullum sedentem currere, contingit omnem

hominem currere, ergo necesse est nullum hominem sedere: valet tamen ex utrisque præmissis, ergo nullus homo est coruus, ergo nullus homo sedet. Quod si è contrario negatiua præmissa sit contingens, & affirmatiua de necesse, haud sequetur conclusio de necesse: contingentia enim vnius præmissæ vetat semper necessitatem conclusionis, ut ex superioribus liquet: haud etiam de contingenti cum non valeat: contingit nullum hominem esse album, necesse est omnem cygnum esse album, ergo contingit, nullum cygnum esse hominem: tantum igitur sequi potest, nullus cygnus est homo, quæ est conclusio de inesse. Similiter in quarto modo se res habet, & qualiscunque illius præmissa sit de necesse, aut de contingenti, necessitas, nec contingentia conclusionem afficiet, sed hæc utriusque immunis euadet, ut inspicienti constabit.

In tertia figura modi affirmatiui, quæcunque earum præmissa sit de contingenti, quantumuis altera sit de necesse, conclusionem contingentem inferent, veluti contingit omnem hominem currere, necesse est omnem hominem esse animal, ergo contingit aliquod animal currere. Cæterum modi negantes inferent conclusionem de contingenti, si in eis præmissa negatiua fuerit de contingenti, & affirmatiua de necesse, ut contingit nullum hominem esse album, necesse est omnem hominem esse animal, ergo contingens est aliquod animal non esse album: quod si è diuerso præmissa negatiua sit in eis de necesse, & affirmatiua de contingenti, conclusio erit de inesse, & non de necesse, nec de contingenti: haud enim sequitur, necesse est nullum hominem mugire, contingens est aliquem hominem ridere, ergo contingens est aliquod ridens non mugire: est enim potius id necessarium: haud etiam, necesse est nullum sedentem currere, contingens est aliquem sedentem loqui, ergo necesse est aliquod loquens non currere: tantum ergo sequitur ex prioribus præmissis, aliquod ridens non mugit; & ex posterioribus, aliquod loquens non currit.

Quatenus autem syllogismi modales imperfectè concludentes probentur per reductionem tum ostensiuam, tum etiam per impossibile ad quatuor modos perfectos itidem modales primæ figuræ; eorum verò, qui nè imperfectè concludunt, inefficacitas, ac nullitas suadeatur, per hoc quod utriusque reuocationis sint incapaces, facile colligi potest ex dictis hoc libro, tract. 1. videndique sunt circa alterum alterumque B. Thomas, Cominbricenses, & ipse Aristoteles, locis superius citatis.



### TRACTATUS III.

#### De tribus aliis speciebus veritatis syllogisticæ.

##### CAPVT I.

*Quid & quotuplex sit syllogismus demonstratiuus.*

**D**EMONSTRATIO, paulo latius sumpta, perinde est, atque quæuis ratiocinatio vera, siue creat